

Phospho-  
rus mira-  
bilis Kun-  
ckelianus  
describi-  
tur.

§. VIII. Meretur *Phosphorus mirabilis* attentionem. *Noctiluca Constans* audiebat dissertatione publicatâ ante hoc trien-  
nium. *Perennilucam* si vocaveris, non erras. *Lumen* alii *per-*  
*petuum* appellant; (quanquam *Lux* & *lumen* toto cœlo differant, &  
id quoque esto: modò rei nihil mutant. *Est autem luce præ-*  
*ditum internâ corpus, ex mirabili naturæ sale constans, volatilis,*  
*mobilis & spirituose operationis, intensissimo calore ignis solitum*  
*elaborari, in liquore semper durans, motu inflammabile levissimo,*  
*objectum proximum illuminans, multiplicabile in particulas mini-*  
*mas innumerabiles, insignem valetudini humanae usum præbens.*  
Cùm dies diem hætenus docuerit, tùm veniam cordati dabunt,  
quòd non nisi tria (isto adhuc tempore cognita) memorabilia  
principiò annotaverimus. *Primum* repositum in eo, ut si ma-  
teria lucifera vel portione minimâ capillis, barbæ, superciliisve illi-  
natur, tempore nocturno non solummodò jucunda, sed horrenda  
etiam oculis objecta repræsentet. Ut penè metuendum foret,  
mira & insolita phænomena mortales superstitioni deditos ac va-  
nitati circa apparitiones Geniorum, & id genus plura, hinc ausu-  
ros comminisci; nisi pretium obstaret *Noctilucæ*. *Alterum* à  
fulgure mirandum; quod per vices fit, & aliud pro causâ habet  
fundamentum. Qualis nimirum illa flammæ est micatio, cunâ  
tempore æstivo dissipantur nubes à sale volatili & acido contra-  
rio imprægnatæ, ut deflagret æstus. *Tertium*, quandoquidem  
plus damni, quàm quodvis pulveris pyrii artificium, si eodem  
abutare, infert usibus humanis, propter comburendi vim inex-  
tinguibilem, sub ipsis licet aquis, à solo Sole etiam incensum,  
tùm exponere non licuit.

Explicatur

§. IX. *Luce præditum internâ* (non solo lumine conten-  
tum) corpus nomino. In se enim habet; & in centrum veluti re-  
ducta lux est. Est in nive, sale, glacie, vitris, gemmis lux, &  
radiat ex Adamante, Pyropo, Smaragdo, Opalo & similibus; sed  
dissipata in communi, ac per gradus varios dispersa. Phosphoro  
mirabili præsentî copiosissimè densata inest; verbo dicam: NIL  
NISI LUX est. Sed ex quo subjecto? & è quâ materia colligi-  
tur? Possem allegare saccharum, mel, C, C. aliaque plura. Sed  
MIRA-